



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

SS. Ammon & Socii Mart. 20. Decemb.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

vivum dereliqui, ut cœnosis ac vanis voluptatibus me immergerem. Domine? da mihi aquam gratiæ tuæ, quæ sola potest sitim meam satiare.

2. Unus deus explere potest animum tuum, ut pote, qui sit infinitum, æternum, & omne bonum. Ah? Domine, satiabor, cum apparuerit gloria tua: in cœlesti Hierusalem torrenre voluptatis potabis me: nihil timebo, nihil cupiam, nihil amabo præter te, mi deus, qui fons es bonorum omnium.

3. Ut tantis gaudiis aliquando potiaris, debes nunc bibere calicem Passionis Christi, panem assiduis fle-
tibus rigare, & cœlum, quàm longa erit vita tua, suspiriis petere. Adhæc oportet, ut haurias aquas de fontibus salvatoris, hoc est de Sacramentis, mediteris Passionem Jesu Christi, ac virtutes ejus imiteris. Da te Deo per breve tempus vitæ, & Deum per æternitatem possidebis. *Regnum cœlorum venale est, tamen aliud non querit pretium, quàm te ipsum; Aug.*

SS. AMMON & SOCII
MART.

20. Decemb.

Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo.
Christus Matth cap. 13.

Cc

Sub

Sub annum partæ salutis CCLIII. Alexan-
 driæ eodem tempore in Christianos sævi-
 tum est & in latrunculos animadversum; si-
 mili in longè dissimillimos supplicio. Forte
 inter nomina horum nomen delatum est Ge-
 nesii. Hic quòd extra culpam esset, facilè se
 purgavit; Sed dum à latrocinii suspicione ab-
 solvitur, ut Christianus accusatur. Hic nihil
 negare jam Genesius, gloriari hoc facinore.
 Latronibus igitur sociatus pejusque his ipsis
 habitus igne crematus est. Hoc verò supplicii
 genere territus alius quispiam è Christianis,
 cum nutare non dubiis signis ad tribunal im-
 pium videretur, ecce Ammon Zeno & Pro-
 lomæus (hi ipsi, quos pinximus, milites) per
 medium agmen penetrare, & cum verbis non
 possent, nutu labantem ad constantiam hor-
 tari. Itaque jam oculis annuere, jam mani-
 bus loqui, jam lacrimis & gemitibus clama-
 re, jam toto corpore supplicare, ne indi-
 gnum quidquam Christiano admitteret. Hoc
 ipsum verò cum oculos non posset fugere spe-
 ctatorum, vulgum scilicet in se armarunt.
 Tum verò nihil dissimulandum amplius rati
 in medium omnes prodierunt, & Christum
 jam pleno etiam ore confessi populum omnè
 in stuporem rapuerunt, socios contra tyran-
 num

num mirum quantum animarunt, ipsi verò gaudio exilierunt, quòd cæli civem, hoc est, Martyrem servassent. *Ex Epist. Dion. Alex. apud Euseb.*

M E D I T A T I O.

De gratia vocationis.

1. **D**Eus nulli denegat gratias ad salutem, modò faciat, quod in se est, sanè plures Christianis, quàm cæteris hominibus conceduntur. Igitur memorem te, ac gratum Deo præbe, maximè propter vocationem ad Christi fidem, à qua aliæ plures manârunt. Memento, quòd graviùs quàm gentiles punieris, si tot tibi concessis gratiis malè usus fueris, nam *tantò graviora erunt delicta nostra, quantò majora se ostenderint divina beneficia. Cæli.*

2. Perperàm divinis gratiis utimur, cùm ad vocem Domini vel obduramus corda nostra, vel procrastinamus: Tumultuosos animi motus comprime fuge mundi strepitum. Vade in solitudinem, & deus loquetur tibi ad cor; cùm autem vocem ejus audiêris, si ne mora obedias ei. Ambula, cùm lucem gratiæ habes, & noli ad mortem rejicere conversionem tuam.

3. Qui rectè divinis gratiis utuntur, magis ac magis iis cumulantur; qui malè, aliis concessis etiam nudantur. Cave, ex hac neglecta gratia, æterna forsan pen-

det calamitas; noluit saluti vacare cum poteras; veniet mors, non poteris, cum voles. Nam illa est peccati pena justissima, ut qui rectè facere, cum posset, noluit, amittat posse, cum velit.

S. THOMAS Apostolus

21. Decembr.

Quia vidisti me Thoma, credidisti?

Beati qui non viderunt & crediderunt. Christus Joan. cap. 20.

Divus Thomas est, cui etiam palpare fidem licuit; & profuit, dubitasse Thomam, ut Indus crederet. Nam fidem in Indiam meliaporem usque tulit, firmavitque miraculo, cum ingenti mole arborem, & quam multi & homines & Elephanti movere loco frustra laborarant, obsequentem ipse cingulo suo per miliaria X. tractam templi structuræ devovit, simulque vaticinium edidit, cum mare pertingeret illuc, affuturos, qui quam ipse nunc fidem præluceret, extinctam iterum populis accenderent; quod fieri nuper sub coeptas Hispanorum navigationes vidimus. Cæterum fuit è sacrificulis tum temporis